

M V R O R A C O N S V R G E N S :
 Q V A E D I C I T V R A V R E A
 hora, & in eius secundum
 Tractatum,

P R O L O G U S.



N praelibatis ostensum est intelligenti ex
 Sacrae paginae auctoritatibus, hanc scien-
 tiam non esse aliud, nisi donum Dei, & Sa-
 cramentum diuersis typicis sermonibus, ac
 parabolicis locutionibus, necnon proble-
 matibus & mysticis ferè circūuolutum: & hoc ideò ne
 stolidi & insipientes naturam ignorantes, legere ta-
 men scientes A. B. C. D. ipsis attraherent, & usurparent.
 Quamobrem cupientes hanc scientiam, oportet intel-
 lectum valdè subtiliter & ingeniosè acuerè, sæpè &
 persæpiùs, intus & extrà, antè, & retrò, voluere & re-
 uoluere dicta sapientum. Non est enim sapientum sto-
 lidè loqui, cum intellectus verborum ipsorum, maximè
 literarum sono contrariatur: qui enim sonum verbo-
 rum acceperit, & intellectum interiorem non habuerit,
 nihil sibi prodest: quoniam illi dicitur id, quod scriptū
 est, Legere & non intelligere est negligere. Quid ergo
 vobis videtur affectantibus hanc diuinam sapientiam,
 qui rem accipitis iuxta sonum literarum, & minimè
 consideratis in ea, vtrum sit an non, id quod speratur?
 an naturam imitetur vel eam priuetis, vel quem fructū
 habetis, in cuius fine erubescitis? Non sic impij non sic,
 sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie ter-
 ræ: Sic erunt operationes illorum, qui sine natura & in-
 tellectu operantur. Dicit enim Alexander: Si niuem vis
 frigiditate dissoluere, plus ipsam coagulas: & si aquā
 igne vis infrigidare, plus calefacis: & si aliquam natu-
 ram vertis ad eius oppositum, plus opus tuum cor-
 rumpis. Num quid non legistis multotiens, quòd arca-
 num arcanorum & thesaurus thesaurorum præeuntib.
 in via non ponitur? Quod si sic publicè poneretur, arca-